

Cover Page



Universiteit Leiden



The handle <http://hdl.handle.net/1887/18623> holds various files of this Leiden University dissertation.

**Author:** Helm, Alfred Charles van der

**Title:** A token of individuality : Questiones libri porphirii by Thomas Manlevelt

**Issue Date:** 2012-03-22

APPENDIX

QUESTIONES SUPER PREDICAMENTA



⟨QUESTIO 2⟩

Consequenter queritur utrum aliquis conceptus sit equivocus.

⟨1.⟩ Et arguitur primo quod sic.

5 Omnis proprietas conveniens alicui termino vocali vel scripto ratione alicuius conceptus convenit isti conceptui; sed equivocatio convenit termino vocali vel scripto ratione alicuius conceptus, igitur equivocatio similiter convenit conceptui; igitur aliquis conceptus est equivocus. Maior videtur evidens per istam propositionem primo *Posteriorum*,<sup>1</sup> ‘unumquodque propter quid est et illud magis.’

10 Item, hoc idem patet discurrendo per singulas proprietates terminorum vocalium vel scriptorum; nam nullus terminus vocalis vel scriptus est nomen vel verbum, vel singularis numeri, vel nominativi casus, vel tertie persone et sic de aliis nisi quia talis terminus correspondet alicui conceptui nominali vel verbali, vel singularis numeri, vel nominativi casus, vel tertie persone etcetera, sicut satis potest elici ab Aristotele primo *Perihermenias*,<sup>2</sup> et precipue a suo commentatore Boethio ibidem,<sup>3</sup> supra istum textum ‘Voces sunt note earum que sunt in anima passionum’; igitur pari ratione nullus terminus vocalis est equivocus nisi quia correspondet conceptui equivoco.

20 Et si dicatur quod non est simile de ista proprietate que est equivocatio et de aliis proprietatibus, *tunc assignetur*, dissimilitudo scilicet quare ista proprietas potius competit termino vocali vel scripto preter hoc quod

3 Et] 1 mg. E<sup>1</sup> 10 Item] 2 mg. E<sup>1</sup> 15 tertie] pers add. necnon del. E 22 termino] terminus E

1 Aristoteles, *Analytica posteriora* 1, 2, 72a27–32; *Auctoritates* 313 (29): ‘Non solum necesse est precognoscere prima principia, aut omnia, aut quedam, aut conclusionem, sed et magis; propter unumquodque tale et ipsum magis, ut propter quod amamus rem, illud est magis amatum et omnia posteriora scimus et credimus. Per prima ergo, illa magis scimus.’

2 Aristoteles, *De interpretatione* 1, 16a3–4: ‘Sunt ergo ea que sunt in voce earum que sunt in anima passionum note.’

3 Boethius, *In librum De Interpretatione Editio prima* (PL 64, 298A): ‘Sunt ergo ea que sunt in voce, earum que sunt in anima passionum note, id est, ipse, inquit, voces intellectus qui sunt anime passionem significant, eorumque sunt significative.’ *In librum De Interpretatione Editio secunda* (PL 64, 405A).

competat alicui conceptui, quam aliqua alia sua proprietates grammaticalis vel logicalis.

⟨2.⟩ Item, posito quod Sortes audiat vel videat istum terminum ‘canis’, et quod sit omnino indifferens ad cogitandum de animali latrabili et de celesti sidere et pisce marino, ita quod non plus inclinetur ad cogitandum supra unum quam supra reliquum, tunc per talem auditionem generatur unus conceptus in mente Sortis cui correspondet iste terminus ‘canis’, et non conceptus univocus, quia tunc iste terminus ‘canis’ esset univocus ad ista tria significata; igitur conceptus equivocus.

Et *si dicatur* quod in tali auditore generabuntur tres conceptus, tali casu posito, scilicet conceptus animalis latrabilis et conceptus piscis marini et conceptus sideris celestis; quia non maiori ratione unus quam alius; igitur omnis vel nullus. Et non nullus, sicut experimento patet; igitur omnis. Et ita non generatur aliquis unus conceptus precise cui correspondet iste terminus ‘canis’ convertibiliter.

*Sed contra*: si sic, ponatur tunc quod iste terminus ‘canis’ sit equivocus ad mille significata – sicut de facto iste terminus ‘Ioannes’ est equivocus ad mille significata, vel potius ad centum milia, – et quod Sortes sit indifferens omnino ad cogitandum supra aliquod istorum significatorum; quo posito, ex predicta ratione sequitur quod quando Sortes audiret talem terminum ‘Ioannes’, generaretur in mente eius centum milia conceptus, quibus correspondet ratione diversorum significatorum iste terminus ‘Ioannes’ eque primo; cuius oppositum experimur. Relinquitur | igitur quod tali termino equivoco correspondeat unus conceptus equivocus.

⟨3.⟩ Item, omne signum quod competit pluribus diversa ratione est equivocum; sed aliquis conceptus competit pluribus diversa ratione; igitur aliquis conceptus est equivocus. Maior elicitur ex textu Aristotelis<sup>4</sup> quo dicit quod equivocum est cuius nomen est commune, et ratio diversa. Minor declaratur, nam conceptus discretus et proprius ipsius Sortis competit ipsi Platoni, posito casu possibili, scilicet quod Sortes et Plato sint in tantum similes, quod in absentia unius et in presentia

5 celesti] scelesti E | marino] iste *add. necnon del. E* | plus] plus *superscr. E* | ad] con  
*add. necnon del. E* 6 supra] sequitur E 11 casu] q *add. necnon del. E*  
 11–12 piscis marini] piscus marinus E 12 sideris] scideris E 18 milia] ooooo  
 E 19–20 significatorum] q *add. necnon del. E* 20 predicta] ratione *add. necnon del.*  
 E 24 igitur] quod *add. necnon del. E*

4 Aristoteles, *Predicamenta* 1, 1a1–2: ‘Equivoca dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantie ratio diversa.’

alterius non poterit discerni utrum presens sit Sortes vel Plato. Tunc clarum est quod Sortes presens alicui causabit suum conceptum proprium et discretum in mente istius cui est presens; quo conceptu causato, remouetur Sortes et presens detur Plato sine scitu concipientis, et continuet  
 5 conceptum sui. Tunc iste concipiens experitur se – eodem conceptu quo concepit Sortem – concipere hanc rem sibi presentem, que quidem res est Plato; igitur conceptus Sortis discretus competit Platoni, et non eadem ratione, quia non videtur possibile quod conceptus discretus et proprius alicuius eadem ratione competeret alteri, quia tunc non esset discretus et  
 10 proprius, sed communis.

⟨4.⟩ Item, nullus conceptus specialissime specificus potest competere alicui individuo alterius speciei nisi diversa ratione et equivoce; sed aliquis conceptus specialissime specificus competit alicui individuo alterius speciei; igitur aliquis conceptus specialissime specificus est equi-  
 15 vocus. Maior videtur de se nota, quia sicut iste terminus ‘homo’ qui est species specialissima non potest competere alicui individuo alterius speciei, utpote asino, nisi equivoce, ita etiam iste conceptus specialissimus ‘homo’ non potest competere alicui individuo alterius speciei nisi equivoce. Minor declaratur, posito quod Sortes videat aliquam rem a  
 20 remotis, que quidem res in rei veritate sit asinus, et quod appareat Sorti quod ista res sit homo; tunc Sortes concipit istam rem conceptu specifico hominis; igitur conceptus specificus hominis competit asino, et per consequens conceptus specialissime specificus competit alicui individuo alicuius speciei. Igitur aliquis conceptus specialissime specificus est equi-  
 25 vocus.

⟨5.⟩ Item, aliquis conceptus competit sibi ipsi et rei extra, que quidem res differt a tali conceptu genere; et non competit sibi ipsi et tali rei extra univoce; igitur equivoce.

Prima particula antecedentis declaratur, posito quod Sortes intelligat  
 30 lapidem; tunc quero utrum Sortes experiatur se concipi lapidem, vel non. Si non, tunc pari ratione periret omnis experientia, quod est absurdum. Hoc etiam est contra Aristotelem, ut videtur, secundo *De anima*,<sup>5</sup> ubi vult quod sentiens sentit se sentire, et videns videt se videre, et sic de

33 sentiens] centiens *E* | videns] *d add. necnon del. E*

5 Aristoteles, *De anima* II, 425b12–17: ‘Quoniam autem sentimus nos audire et videre, necesse est quod sentire quod nos videmus aut est per hunc visum, aut per aliud; sed illud erit visus, et coloris subiecti. Aut duo unius, aut idem sui. Et etiam, si sensus quo sensimus nos videre sit alius, aut erit hoc in infinitum, aut erit idem sui. Oportet igitur ut hoc faciat primo.’

aliis. Igitur pari ratione intelligens intelligit se intelligere; vel igitur eadem  
 intellectione vel alia. Non potest dici quod alia, quia pari ratione sentiens  
 45<sup>a</sup> aliquid sentiret se sentire alia sensatione ab ista sensatione, qua sentit |  
 istud ad extra, et sic esset processus in infinitum, quod videtur esse  
 vitandum; igitur standum est in primo, scilicet quod eodem conceptu 5  
 quo Sortes concipit lapidem concipit istum eundem conceptum lapidis.  
 Igitur conceptus specialissime specificus lapidis competit sibi ipsi et  
 lapidi extra.

Secunda particula antecedentis, videlicet quod talis conceptus non  
 competit sibi ipsi et lapidi univoce, patet quia sic sequeretur quod lapis 10  
 et talis conceptus essent eiusdem speciei specialissime. Quod de se patet  
 esse falsum, quia genere differunt, sicut dictum est. Et confirmatur:  
 capiendo istam propositionem mentalem ‘homo est species’, tunc quero  
 utrum subiectum supponat pro se vel non. Si sic, habetur propositum,  
 scilicet quod conceptus specialissime specificus hominis potest compe- 15  
 tere sibi ipsi et homini extra. Si non, tunc sequeretur quod nullus ter-  
 minus mentalis posset supponere materialiter, quod videtur esse falsum,  
 quia omnis res potest se ipsam representare; igitur talis conceptus potest  
 se ipsum representare, et per consequens pro se ipso supponere, igitur  
 sibi ipsi competere et rei extra. 20

⟨SUPPOSITIO PRIMA⟩ In ista questione primo ponende sunt aliquae suppo-  
 sitiones, quarum prima est ista, quod omnis res naturaliter representat se  
 ipsam. Et hec suppositio videtur rationalis, quia omnis representatio est  
 ratione alicuius convenientie vel identitatis; igitur, cum nulla res tantum  
 conveniat alicui ut ita loquar, vel sit eadem alicui sicut sibi ipsi, videtur 25  
 quod omnis res sit sui ipsius representatio.

⟨SUPPOSITIO SECUNDA⟩ Secunda suppositio est ista, quod omne istud  
 quod representat diversa diversis rationibus sit equivocum equivocans,  
 saltem a casu vel consilio. Et ista suppositio satis elicitur ex textu Aristo-  
 telis<sup>6</sup> et sui commentatoris Boethii in principio istius Boethii.<sup>7</sup> 30

3 sentit] istud ad extra, et sic esset processus in infinitum *add. sub columna, eadem manu E*; pi *add. sub columna, eadem manu E* 27 Secunda] pro *add. necnon del. E*  
 28 representat] repugnat *E*

6 Aristoteles, *Predicamenta* 1, 1a1–2: ‘Equivoca dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantie ratio diversa.’

7 Boethius, *In Cat.*: ‘Equivocorum alia sunt casu, alia consilio.’ (PL 64, 166B).

5 <CONCLUSIO PRIMA> Prima conclusio est ista, quod aliquid ex sua natura  
 est equivocum equivocans. Ista declaratur sic: aliquid ex sua natura est  
 representativum diversorum diversis rationibus; igitur aliquid ex sua  
 natura est equivocum equivocans. Ista consequentia patet per secundam  
 10 suppositionem. Et antecedens declaratur, nam latratus canis represen-  
 tat semetipsum naturaliter, per primam suppositionem; et etiam experi-  
 mento patet quod precise representat semetipsum auditui, quia auditor  
 et non representat se ipsam ex impositione ad placitum, nec per acci-  
 dens nec per se nec primo nec secundo; igitur representat se ipsum  
 15 auditui ex sua natura. Et hoc dico, habitis omnibus circumstantiis requi-  
 rendis, utpote quod debita sit distantia inter talem sonum et auditum,  
 et quod sensus sit dispositus, et quod medium sit aptum, et sic de aliis.  
 Et talis latratus representat canem, sicut patet experimento; quia audito  
 tali latratu, concipitur canis, et non representat canem ex impositione  
 ad placitum, | saltem ex humana impositione; igitur naturaliter. Clarum 45<sup>rb</sup>  
 <est> quod non eadem impositione representat semetipsum et canem;  
 igitur diversa ratione. Igitur est naturaliter representativum diversorum  
 diversa ratione.

20 <CONCLUSIO SECUNDA> Secunda conclusio, que consimili ratione se-  
 quitur, est ista, quod aliquis conceptus est equivocus equivocans; quia  
 aliquis conceptus est representivus diversorum diversa ratione; igitur ali-  
 quis conceptus est equivocus equivocans. Ista consequentia patet sicut  
 prius. Et antecedens similiter declaratur, quia aliquis conceptus represen-  
 25 tat seipsum intellectui, quia est presens intellectui; et non impeditur, ut  
 suppono, quin representat seipsum intellectui. Quia per aliquem nimiam  
 sollicitudinem ipsius intellectus vel discretionem alicuius rei represen-  
 tat semetipsum intellectui. Et representat rem extra cuius est conceptus  
 et ipsi intellectui, et non eadem ratione; quia talis conceptus et talis res  
 extra cuius est conceptus genere generalissimo differunt; igitur aliquis  
 30 conceptus est representivus diversorum diversa ratione.

Item, sensus potest diversa sentire mediante <eodem> sono; igitur  
 a simili vel a fortiori intellectus potest diversa concipere et intelligere  
 mediante eodem conceptu; quia non videtur ratio quin pari ratione

1 Prima conclusio] Conclusio prima *mg. E<sup>1</sup>* 7 quod] quam *E* | representat] repugnat  
*E* | auditui] auditui *mg. E* 9 representat] repugnat *E* 13 audito] similiter *add.*  
*necnon del. E* 14 latratu] con *add. E* | non] repugnat *add. necnon del. E* 19 Secunda  
 conclusio] Conclusio secunda *mg. E<sup>1</sup>* | consimili] consimiliter *E* 20 est<sup>1</sup>] est *corr. ex*  
*ex E* 21–22 aliquis] est *add. necnon del. E* 28 et] representat *add. necnon del. E*  
 30 representivus] representans *E* 31 potest] diversa *add. E*; concipere *add. necnon*  
*del. E*; vel *superscr. E* 33 mediante] in *add. necnon del. E*



qua sensus mediante eadem specie potest diversa diversis rationibus sentire, ipse intellectus mediante eodem conceptu potest diversa diversis rationibus intelligere, scilicet ipsum conceptum et rem extra cuius est conceptus.

⟨CONCLUSIO TERTIA⟩ Tertia conclusio est ista, quod unus et idem conceptus proprius et discretus unius rei potest esse conceptus proprius alterius rei. Ista declaratur sic: ponatur quod Sortes et Plato sint in tantum similes, quod in absentia unius non discernitur quis istorum sit presens, scilicet utrum Sortes sit presens vel Plato; quo posito, ponatur Plato alicui concipienti ipsum Platonem conceptu proprio et discreto; et removetur Plato sine scitu concipientis et presentetur Sortem, et continuet concipiens conceptum suum – qui quidem conceptus vocetur *A* – tunc sic: *A* prius fuit conceptus proprius ipsius Platonis, et iam *A* est conceptus proprius ipsius Sortis; igitur proprius conceptus unius potest esse proprius conceptus alterius, et hoc ratione maxime similitudinis. Et quod unus et idem conceptus qui fuit Platonis sit postea Sortis, et non alius, patet: quia concipiens experitur se concipere eundem conceptum.

Et a simili potest etiam declarari, posito quod *B* ignis causet calorem in aliquo subiecto, et quod *C* ignis precise eque intentius cum *B* igne succedat *B* ignem, in qua successione conservetur *F* calor per potentiam prime cause sine sui diminutione; tunc clarum est quod *F* calor non corrumpetur, sed ulterius conservabitur per *C* ignem. Quia non potest assignari ratio corruptionis, quia *C* ignis non corrumpet *F* calorem, nec aliquid aliud, ut suppono; igitur nihil corrumpit ipsum. Et pari ratione conceptus *A*, qui fuit causatus a Platone, postea causabitur et continuabitur a Sorte.

45<sup>va</sup> ⟨OBIECTIO⟩ Et si instetur | quod ista conclusio includat contradictionem, scilicet quod idem conceptus sit communis et non communis, quia si sit proprius Platoni, tunc non est communis; et si conveniat Sorti et Platoni, videtur quod tunc sit communis.

*Ad istud dicitur* quod conceptus non dicitur communis quia potest competere pluribus successive, sed quia potest pluribus competere simul; quod non potest *A* conceptus. Quia si intellectui primo Sortes presentaretur, Plato alio conceptu conciperetur; vel, si eodem – quod forte verius

2 sentire] vacat *mg. E. Sequitur textus vacuus 2¾ lineae*: Oscitat ille diu qui furnum vincit hiando. Qui mihi dat villum, mala passio (torqueat) illum. Vivat in eternum qui dat mihi tale Falernum. *E* 5 Tertia conclusio] Conclusio tertia *mg. E<sup>1</sup>* 11 scitu] scitum(?) *E* 19 precise] presise *E* 22 C] *C superscr. E corr. ex se* 31 communis] vacat vacat *add. necnon del. E*

est – hoc esset equivoce et non univoce. Unde quod aliquid idem quod est proprium uni secundum unam rationem individualem sit commune alteri secundum aliam rationem individualem, hoc non includit contradictionem; quia non secundum idem est proprium et commune.

5 Et ista conclusio ponenda est non omnino assertive, sed tamquam probabilis. Quia, si cui placeat, posset dicere quod, posito casu priori de Sorte et Platone maxime similibus, *A* conceptus non esset ipsius Sortis, sed semper ipsius Platonis. Et in presens Sortis generaretur conceptus  
10 Sortis, quod tamen lateret concipientem propter maiorem similitudinem, tam conceptum generationis Sortis et Platonis quam etiam corruptionis generantium tales conceptus. Et tunc consequenter potest dici quod talis conceptus non est equivocus.

15 <CONCLUSIO QUARTA> Quarta conclusio est ista, quod aliquod definitum mentale competat alicui cui non competit eius definitio. Ista statim patet per predicta, quia capiatur conceptus specialissime specificus hominis; tunc iste conceptus representat hominem, ratione cuius representationis competit sibi ista definitio ‘animal rationale mortale’; et representat seipsum, sicut patet per primam suppositionem et secundam conclusionem; et ipsemet conceptus non est animal rationale mortale;  
20 igitur talis conceptus competit alicui cui non competit aliqua sua definitio.

<AD 1.> Ad primum igitur principale dicitur quod, quamvis conclusio sit concedenda, scilicet quod aliquis conceptus sit equivocus, sicut patet per predictas conclusiones, non tamen cogit hoc istud argumentum. Et ideo  
25 ad propositiones ordinarie respondetur.

Primo concedendo maiorem, videlicet quod quodcumque aliqua proprietas competit alicui ratione alicuius conceptus precise etc.

30 Et ulterius dicitur negando minorem, scilicet quod equivocatio competit alicui termino vocali vel scripto precise ratione alicuius conceptus, quia equivocatio competit termino vocali vel scripto ratione diversorum conceptuum; quia scilicet talis terminus correspondet diversis conceptibus et diversis impositionibus diversarum rationum.

35 Et ulterius dicitur quod non est simile de proprietate equivocacionis et de aliis proprietatibus. Et potest ratio dissimilitudinis taliter assignari, videlicet quod alie proprietates possunt haberi ratione unius conceptus

1 non] non *superscr.* E 13 Quarta conclusio] Quarta conclusio *mg.* E<sup>1</sup> 15 specialissime] con *add. necnon del.* E 16 ratione] con *add. necnon del.* E

tantum, sed equivocatio non, nisi ratione plurium conceptuum diversarum rationum.

⟨AD 2.⟩ Ad secundum dicitur concedendo, tali casu posito, quod in mente Sortis generabitur unus conceptus correspondens isto termino ‘canis’, non simplex sed compositus; non equivocus simpliciter sed univocus, scilicet iste conceptus ‘aliquid quod vocatur “canis”’, vel aliquis conceptus consimilis. Unde non est inconveniens quod termino puro equivoco correspondeat adequate conceptus univocus compositus. Sed  
 45<sup>vb</sup> esset inconveniens dicere quod tali termino correspondet adequate | conceptus simplex univocus. Et dixi quod talis conceptus compositus non  
 10 esset equivocus; et hoc intellexi ratione diversorum significatorum aliorum a seipso, scilicet quod talibus significatis non esset equivocatio.

⟨AD 3.⟩ Ad tertium dicitur dupliciter. Primo secundum conclusionem superius positam, concedendo quod talis conceptus est equivocus, quia una ratione individuali competit Sorti, et alia ratione individuali competit Platoni.  
 15

Secundo potest dici, si cui placeat, quod non eodem conceptu concepit Sortem et Platonem, quamvis hoc lateat concipientem, sicut predictum est;<sup>8</sup> sed alio et alio.

⟨AD 4.⟩ Ad quartum dicitur concedendo maiorem, et negando minorem. Et ad probationem dicitur quod in tali apparentia concipiens non concipit asinum conceptu specifico hominis, quamvis ipse deceptus assereret quod ipse conceptu hominis conciperet talem rem. Si concipiat istam rem, concipit aliquo alio conceptu, utpote hoc conceptu ‘ista res’; et conceptu hominis quem habet in mente concipit hominem. Si sit in  
 20 rerum natura vel nihil, concipit isto conceptu. Si homo non sit in rerum natura – sicut si quis videt aliquem hominem de quo simplissime crederet, propter magnam similitudinem, quod esset personaliter suus amicus, qui in rei veritate non esset suus amicus sed inimicus, quem summe odiret – tunc talis videns crederet quod summe diligeret istum hominem visum, et tamen decipitur per hoc quod summe diligit amicum suum quem credit esse istum hominem. Et ideo, sicut quis potest taliter decipi in actibus ipsius voluntatis, ita potest decipi in actibus intellectus. Verumtamen posset probabiliter susteneri quod talis conceptus hominis competeret in tali casu asino equivoce. Sed quidquid sit de hoc,  
 25  
 30  
 35

9 termino] or *add. necnon del. E* 20 et] *ned add. necnon del. E* 27 videt] *v add. necnon del. E* 34 Verumtamen] *Verumptamen E* 35 tali] *con add. necnon del. E*

8 Videas supra, CONCL. 3.

saltem oportet necessario concedere quod asinus vel accidentia asini in tali distantia cum talibus circumstantiis saltem personaliter causant conceptum specificum hominis.

5 (AD 5.) Ad quintum dicitur concedendo, sicut patet per conclusiones positas, quod talis conceptus est equivocus, quia competit sibi ipsi ratione identitatis, et competit rei extra ratione representative similitudinis, sicut expresse patet in exemplo posito de latratu canis, qui representat semetipsum et canem.

10 (OBJECTIO) Et *si dicatur* quod non representat canem nisi arguitive vel propter aliquem sensationem precedentem intuitivam ipsius canis latrantis, *ad hoc dicitur* concedendo; sed tamen hoc non obstante, talis latratus post talem experientiam representat canem; et hoc sufficit ad propositum.

15 Et per hoc patet ad confirmationem, quia conceditur quod talis conceptus semetipsum representat, et se ipso considerato concipitur; et pro se ipso supponere potest, sicut patet in ista propositione mentali ‘homo est species’, supposito quod idem sit subiectum in tali propositione mentali quod est subiectum in ista propositione mentali ‘homo est animal risibile’. Verumtamen cum hoc stat quod in ista propositione mentali ‘homo est species’ supponit personaliter, si conceptus ipsius conceptus hominis subiciatur; quia ego pono ad presens quod omnis conceptus potest se  
20 ipso concipi, et alio conceptu.

(I.) Ad oppositum arguitur sic: quandocumque aliqua proprietas alicui rei (competit) naturaliter et nullo modo ad placitum vel ex positione  
25 voluntaria, tunc talis proprietas competit isti rei uniformiter, dummodo talis res est in rerum natura; sed hec proprietas que est representare rem extra intellectui competit naturaliter ipsi concipienti et non ad placitum; igitur uniformiter competit sibi et semper, dummodo talis conceptus existeret, et per consequens talis conceptus non representabit aliquid  
30 aliud a tali re extra; igitur, ut videtur, nullus conceptus representabit diversa diversis | rationibus. Maior patet ex simili: nam et proprietas, 46<sup>ra</sup>  
(que) est califacere, competit naturaliter igni, vel esse califactivum, et non competit sibi; igitur nec potest sibi competere ipso manente, nec aliud potest proprie et per se, quamvis accidens, califacere. Et similiter

11 tamen] tamen *superscr. E* | obstante] *opstante E*

dicendum est de conceptu. Et confirmatur per Aristotelem secundo *De generatione*,<sup>9</sup> ubi vult quod idem in quantum idem semper fiat idem. Et minor patet per experientias.

⟨II.⟩ Item, si aliquis conceptus esset equivocus sicut terminus vocalis vel scriptus, tunc sequitur quod sicut terminus vocalis vel scriptus potest equivocare indifferenter ad quamcumque rem sive ad quodcumque signum, similiter et conceptus. Sed consequens falsum, igitur istud ex quo sequitur. Falsitas consequentis patet de se, quia conceptus lapidis non potest representare deum, vel proprius conceptus albi vel albedinis non potest representare nigredinem. Et consequentia patet, quia non videtur esse maior ratio de uno quam de alio. Et si sit, tunc assignetur.

⟨III.⟩ Item, si aliquis conceptus posset presentare plura diversis rationibus, hoc maxime videtur verum quod conceptus alicuius rei extra representat istam rem extra et semetipsum diversis rationibus, sicut superius arguebatur.<sup>10</sup> Sed hoc non videtur verum, quia tunc talis conceptus seipso conciperetur, cuius oppositum videtur apparere per experientiam. Quia multi laici rudes habent multos conceptos quos nesciunt se habere, et per consequens quos non intelligunt. Quia si intelligerent, experirentur se intelligere.

⟨IV.⟩ Item, si sic, tunc possemus manifeste scire quod talis conceptus distinguitur ab ipso intellectu, quod tamen non videtur verum, quia multi valentes opinantur oppositum.

⟨V.⟩ Item, nos experimur nos ex consequenti intelligere conceptus nostros; et hoc facta diligenti inquisitione prius ⟨ali⟩quomodo intelligimus rem extra; igitur non videtur quod intelligimus equivoce conceptum ipsius rei extra et ipsam rem extra; ergo conceptus non representat seipsum intellectui.

⟨VI.⟩ Item, si representaret seipsum intellectui, pari ratione quidquid ⟨esset⟩ in intellectu, representaret seipsum intellectui; et per consequens omnes habitus scientifici vel dubitativi vel opinativi vel creditivi existentes in intellectu alicuius representarent se intellectui, et per consequens quilibet homo actu intelligeret omnes tales habitus, et hoc distinctis et

2 in quantum] in quam E    5 vel] ut E    11 ratio] ratione E    14 sicut] sicut E  
 16 conciperetur] q *add. necnon del. E*    17 laici] layci E    24 aliquomodo] re  
*add. necnon del. E*    31 intellectu] *corr. ex tellectus E*    32 habitus] et habitus *add. E*  
 | distinctis] dis E; *lac. duo litt. E*

9 Aristoteles, *De generatione et corruptione* II, 10 336a27–28; *Auctoritates* 170 (43):  
 ‘Idem manens idem semper aptum natum est facere idem.’

10 Videas supra, CONCL. 4.

propriis conceptibus. Et sic non posset esse oblivio alicuius existentis in intellectu; cuius oppositum experimur, quia factis cum magno labore aliqua quorum cognitiones habituales iste habemus in mente, ad memoriam nostram reducimus, sicut manifestiva apparentia docet.

5 <AD I.> Ad primum igitur in oppositum, dicitur concedendo quod talis  
 10 proprietates mentalis inest uniformiter isti cuius est proprietates et semper  
 ipso manente, nisi impediatur. Et consimiliter conceditur quod repre-  
 sentare rem extra inest conceptui uniformiter quantum est ex parte sui  
 et semper ipso manente, nisi impediatur, vel per corruptionem rei extra,  
 15 que quando non est non representatur; vel per diversionem ipsius intel-  
 lectus. Quia quamvis intellectus se habeat passive respectu receptionis  
 specierum intelligibilium, sicut vult Aristoteles tertio *De anima*,<sup>11</sup> tamen  
 post talem receptionem se habet active | in advertendo se intelligere 46<sup>rb</sup>  
 20 actus, et continendo vel divertendo se a talibus actibus ad alios actus, vel  
 simpliciter ad non intelligendum, sed suspendendo omnem sui actum.  
 Conceditur igitur ad intellectum iam dictum quod in talibus uniformiter  
 representat intellectui rem extra.

Et ulterius negatur ista consequentia ‘igitur non representat intellectui  
 aliquid aliud a tali rei extra’, quia ita naturaliter et ita uniformiter talis  
 25 conceptus representat semetipsum intellectui ratione identitatis, sicut  
 representat rem extra ratione representative similitudinis. Et de ista  
 materia haberetur quodammodo diffusius in questionibus secundi *De  
 anima*,<sup>12</sup> ubi tractaretur de speciebus representationis.

Et ad auctoritatem Aristotelis, dicitur ipsam similiter concedendo. Ad  
 30 intellectum dicentis, quia idem agens naturale, quantum est ex parte sui,  
 semper facit idem dummodo est, nisi impediatur. Et hoc non est aliud  
 dicere nisi quod agens naturale et non voluntarium, ceteris paribus, non  
 valet ad opposita, quia non agit per voluntatem, saltem suam, quamvis  
 per voluntatem divinam.

30 <AD II.> Ad secundum dicitur negando consequentiam. Quia terminus  
 vocalis vel scriptus, quantum est de se, est indifferens simpliciter ut  
 ponatur ad significandum quamcumque rem. Et sic non est de conceptu,

13 active] in *add. necnon del. E*    15 sui] *corr. ex suum(?) E*    21 ista] a *add. necnon del. E*

11 Aristoteles, *De anima* III, 4, 429a10–11, 13–14. *Auctoritates* 185 (136) ‘Intelligere est pati’. Cf. Aristoteles Γ4, 429a10–11, 13–14.

12 Thomas Manlevelt, *Questiones in De anima*. Textum invenire non potui.

qui est determinatus per sui naturam ad representandum certas res; nec est alia ratio assignanda nisi quia est talis nature.

Et si queratur pueriliter quare est talis nature, dicitur quod quia prima causa fecit eum talis nature. Et ibi est standum.

⟨AD III.⟩ Ad tertium dicitur concedendo quod conceptus representat rem extra et semetipsum. Et ulterius conceditur quod conceptus se ipso concipitur confuse tantum et remisse. Propter quam confusionem et remissionem laici non percipiunt se intelligere tales conceptus, nec etiam clerici, nisi ex consequenti et argumentative, facta diligenti inquisitione qualiter intellectus se habet in concipiendo rem extra; sicut quando aliqua imago tota videtur, multe videntur eius partes visione totius, quas partes videns non experitur se vidisse. Quia si queratur ab eo, utrum talis imago habeat longos digitos vel breves, vel utrum habeat quinque digitos vel non, satis possibile est quod ipse nesciat; et tamen videt omnes digitos et omnes partes. Sed quando talis in visione postea advertit suam visionem distincte ad manum, tunc distincte videt manum, et forte eadem specie qua prius, mediante qua distincta visione, vel mediante qua advertentia vel adversione scit respondere ad plures questiones de tali manu factas. Et consimiliter quodammodo potest dici de conceptu, quod  
46<sup>va</sup> conceptus concipitur distincte res extra | aliquando, et ipsemet conceptus confuse et remisse. Et ideo si queratur de aliquo concipiente utrum concepit talem conceptum, dubitabit; sed postea si intellectus advertat se diligenter ad talem conceptum, tunc experitur se concipere talem conceptum. Et ex istis patet quod non sequitur, si tali conceptu ipsemet conceptus concipiatur, quod concipiens hoc experitur.

⟨AD IV.⟩ Ad aliud dicitur negando consequentiam. Quia quamvis talis conceptus distincte concipiatur, per hoc tamen non potest sciri utrum sit ipse intellectus vel aliqua res alia ab ipso intellectu.

⟨AD V.⟩ Ad aliud dicitur concedendo quod nos experimur nos intelligere conceptus nostros distincte et intense, facta tali inquisitione; sed cum hoc stat quod prius intelligimus eosdem conceptus remisse.

⟨AD VI.⟩ Ad ultimum negatur consequentia: 'si actus intellectualis ipsius intellectus representaret se intellectui, ita quod intellectu concipiatur, pari ratione omnis habitus scientificus vel dubitativus vel opinativus etc. representat se intellectui, ita ut actu

9 diligenti] diligenti *superscr. E*; ex consequenti *add. necnon del. E* 11 imago] ymago  
E 15 talis in] in talis E 16 suam] divisio *add. necnon del. E* | videt] s *add. necnon del. E* 21 aliquo] a<sup>l</sup>(?) E 30 tali] *corr. ex talis E* 35-457.1 actu intelligatur] actus intelligitur E

intelligatur'; quia alia ratio est de actu et de habitu. Nam actus est istud quo intellectus actu operatur, et ideo actu se representat intellectui ut actu intelligatur; et sic non est de habitu.

5 Verumptamen potest, si alicui placeat, distinguere de representatione actuali et habituali. Representatio actualis est qua res actu intelligitur; habitualis est non qua actu fit intellectio, sed qua poterit fieri sive innotescere alicuius rei extra. Et sic bene conceditur quod omnis habitus existens in intellectu habitualiter representat semetipsum intellectui, et cum tali representatione oblivio bene potest stare.



